

Wk. 579, 9


X 1863567

B. M. II, 445. 649.

MICHAELIS WATSONII

S. Theol. Doctorandi, Phil. M. Phys. Pol.

& Hist. Prof. Publ.



Oratio Inauguralis

De

PROCURANDO
ACADEMIÆ HASSO-
SCHAUMBURGICÆ
INCREMENTO

HABITA

Cum Rectoratum Acad. solenni ritu capesseret.

Die XVII. Iulii Anno MDC LX.



RINTELII, Typis imprimebat Petrus Lucius Ac. Typ.



Serenissimi Principis ac Domini Dn. WILHELMI VI
Halsiæ Landgravii, Principis Hersfeldiæ, Comitis Cattimeliboci, Deci-
arum, Ziegenhainæ, Niddæ & Schaumburgi, &c. &c.

Domini nostri Clementissimi

VIRIS CONSILIARIIS

Generoso, Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis

DN. ADOLPHO de MEY

Satrapæ Hasso-Schaumburgico eminentissimo

Dn. SALOMONI CYRIACI

Cancellariæ Hasso-Schaumb. Directori meritissimo

DN. PHILIPPO HENRICO
KOPF

Sereniss. Principis Aulæ & Cameræ Consiliario præcipuo

DN. CONRADO WUBBEN-
HORST

Prælaudatæ Cancellariæ Consiliario dignissimo



Dominis, Evergetis, Patronis,

Felicitatem precatur


M. W.



VOBIS, Mœcenates Venerandi,
quibus ob multifaria benefacta
arctè sum obstrictus, animum gra-
tum atque officiosum his paginis declaro atque
dedico. In cuius fidem obfero illam Orationem,
quam tenebris statueram damnare & damna-
sem, nisi Vestrà Autoritate, aliorumque compel-
latione fuisset revocatus. Animadvertēbam
pagellas istas relegens, multa, quæ Academiæ
nostræ Incrementum spectant, mihi præterita,
pleraque tenuius commemorata, nonnulla et-
iam posse in sequiorem forte an partem trahi.
At, optimæ intentionis fretus conscientia, te-
stor, quod bonorum nemini, sermone hoc, gravis
esse voluerim. Laudari citra ambitum, &
sine commate incitari, aureæ mediocritatis
culto-



*cultores amant. Id obnixè rogo Lectorem, ut
scriptionem hanc, magna sui parte festinatam
& pœnè extemporaneam, recti consulat; ac, si
quid humani passus sum, veniam, quam ipse sibi
exoptat, mihi largiatur. Quam si & à Vobis,
Viri. Patroni Summi, atque simul perenne
patrocinium, impetravero, summam voti ero
consecutus.*



ORA.



ORATIO INAUGURALIS

Rectoratûs Academiae Rintelensis.

Maximè Reverendi Theologi, Nobilissimi, Amplissimi Consilarii & Jure Consulti, Experientissimi Medici, Excellentissimi Philosophi & Philologi, Doctores & Professores hujus Universitatis Præclarissimi; Evergetæ, Amici, Collegæ honoratissimi. Tuque reliqua Concio Virorum & Juvenum, munerum sanctimonia, functionum autoritate, vitæ integritate, doctrinæ ac virtutum luminibus inclyta, venerabilis, honoranda, amanda.



EST hoc in more positum, qui ad dicendum, novumque accedunt munus plerisque omnibus, ut instituti sui rationem exponant & multis sæpè verbis, vel necessitatem excusent, vel difficultatem commemorent, vel etiam arrogantia ac temeritatis suspicionem deprecentur. Et si verò neque tam ineptus sum, ut, quid in hoc genere deceat, ignorem, neque tam mei nescius, ut quam arduam provinciam susceperim, non sentiam: & cum utrumque probè norim, ita tamen statuo, non potuisse me non, eorum, quibus obsecundare debeo, providentiâ atque autoritate, has partes mihi esse velle impositas. Certus, quod, si tam amanter serioque

A

Voca-

vocatus, haud sequerer, non tantum, Vos, de me optimè meritos Viros, offenderem, sed & summum Principem, & ipsum Deum, consilii hujus & ordinis autorem primum. Non me profecto fastus quidam, non me arrogantia versat; procul hanc tetram beluam ab isto pectore remotam, ab animo isto exclusam esse, affirmo Vobis atque juro. Quod si autem quidam sint, qui omnia sibi cum deesse vident, multa tamen, labore, vigilantia, imitatione optimorum consequi se posse credunt, in his, ego liberè nomen profiteri meum non erubesco. Adhibeor ad munus publicum, & cui ferendo impar sum; nec enim tanta me meæ tenuitatis caperunt oblivia, ut mihi promittere ausus fuerim, in hoc Vestro Ordine, meam sive industriam, sive scientiam, quam utramque novi in me perexiguam, posse adeò illustrem esse, ut officio huic satisfaciam. Videbo tamen, prælucente Deo, quomodo cum cæteris functionibus meis Academicis, conciliare possim officium Rectoris, quod totum occupat hominem, quod iis negotiis circumfunditur, ut exundent in omnes eruditæ societatis ordines. Conabor benè agere, memor fiduciæ in me Vestræ, memor Academiae, memor conscientiae, memor denique juramenti, quo nunc me in conspectu Dei, Angelorum & Vestro, egregio publico obstrinxi. Virtutum etiam mihi prælucentium exempla Vestra, *Venerandi Domini Collegæ*, sequar, iisque incitatus simul & adjutus, quamlibet diem, promovendo Academiae Incremento insumere discupio. Ita, si Vos, *Viri Patroni, Viri Professores & Collegæ*, Consiliorum rectitudine ac benivolentiae splendore, conatus meos, irradiare, atque illustrare volueritis, Deo propitio & favente, fieri poterit, ut ipse quoque huic Academiae referam non ingratham & infructuosam lucem, veluti parva sidera à majoribus acceptam reddere solent.

Hoc

Hoc verò à Vobis submissè atque iteratò peto, quod necesse est, ut in futurum, mihi negotiorum, bono publico suscipiendorum auctores ac moderatores sitis, quo Vestro præstantissimo labore, Augusti hujus gratiarum templi fama & celebritas crescat. Sed, jam me monet res ipsa & expectatio Vestra, *Auditores, pulcherrimis Vestrorum Ordinum ornamentis Spectatissimi*, ut in rem præsentem facientia alia verba afferam. Permittam itaque me, humanitati Vestræ, & tentabo, à præsentia actu non omninò alienum quidpiam præfari, illaborato, subitaneo, & tralatitio sermonis genere. Eorum nempe dictio, qui, cum sileremallent, dicere coguntur, ut ut eloquentiæ requisitis destituatur, una tamen officii ratione, universas eloquentiæ rationes facilè sustinere potest. Vestrum erit, *Auditores Splendidiss. Humaniss.* animis adesse, & Orationem hanc, non ex elegantia verborum, sed argumenti dignitate; erit enim de **procurando Academiae hujus Incremento,** *Propositio* benè benignèque arbitrari & accipere.

Consilium Niciæ pictoris, non minimam pingendi partem in eò sitam, ut eligatur pingi dignum, quodque spectantium oculos idoneum sit tenere, tantò diligentius in dicendo sequendum nunc duxi, quanto minus aut ingenio aut perorandi facultate animum solari licuit. Omnem itaque sollicitudinem in seligenda Orationis materia, antevertit pulcherrimum, quod dixi, argumentum, cujus notitia, omnibus, qui seriò in hoc divinarum & humanarum literarum domicilio versantur, est necessaria. Puto enim, Vos, *Auditores Optimi*, mecum sentire atque ita judicare; magnæ pecuniæ prælaturos nos esse, si perspicuum fiat, quid conducturum sit, Matri & Rectrici Studiorum nostrorum, in iis rebus, quæ ad salutem &

An. 1621.
d. 17. Jul.
Privilegia
hujus A-
cademiæ
publicat.

Membra
Orat. per-
tractanda
in quibus
incrementum
Acad.
consistit.

incrementa ejus spectant. Et hoc ipsum tempus, hæc ipsa sol-
lennis dies Martis XVII. Julii, quæ verè Natalis Academiæ
nostræ, ante hos XL. annos, divino extitit auspicio, tantum
non edita voce loquitur, capeflenda esse nobismetipsis idonea
servandæ Academiæ Media, si quidem pro nostra & ejus salu-
te curam gerimus; Debemus decernere, & quam primum
comparare auxilia, ne imminetia mala, ulterius de flore Aca-
demiæ nostræ aliquid avellant. Dicam itaque, non accurato
tractationis delectu, sed ut aliud ex alio in mentem cogitanti
incidit, sic quodque persequar, quantum momenti positum
fit, ad Academiæ nostræ incrementum, in Divina gratia, Cle-
mentissimorum Patronorum beneficentia, Evergetarum au-
xilio, officii nostri dexteritate, incolarum hujus oppidi melio-
ri studio, & accuratâ rerum, quæ Academiæ attinent, cura.
Ea res, etsi nullam habere controversiam videtur apud eos,
qui studia Academica amant æstimantque, indiget tamen ex-
plicatione aliqua, ut major fructus, ad universos redundet. Ist-
hæc verò omnia, lubens meritò prudentiorum consiliis sub-
mitto, & quæ ipse

Spatiis exclusus iniquis

Præterii, ista aliis post me memoranda relinquo.

Quid Aca-
demiæ in-
cremento
obstare vi-
deatur.

Dum autem de incrementis Academiæ nostræ cogito, inter-
turbat me permolesta sollicitudo, cujus, antequam progre-
diar, ne vos quidem expertes habere debeo. Videtur non pau-
cis Academia nostra, ἀχρη (ἀχρηστος) δηµια, lessus quasi publicus;
quum nescio, quo aut fato aut merito suo, à primis ferè incu-
nabulis experta fuerit, non solum rariorem studiosorum fre-
quëntiam, ac calamitates, surgenti Academiæ noxias; sed, quod
minus ferendum est, iniquiora etiam hominum judicia. Vo-
vemus quidem, subinde grandiozem fieri numerum ad-
ven-

ventantium & confluentium ad hanc sapientiae arcem; Academiae vicinae, hostili manu aut peste quondam desolatae, spiritum vitamque recepere, ac denuo quasi conditae vigent; nobis solis, alia omnia, tristia, minusque exulta videntur manere. Caeterum, in his mediocritatis aut parvitatibus nostrae angustias, quae ab ipsa ducuntur aeterni Modimperatoris voluntate, tantisper volentes consistere; nec frequentiores turbas interdum optaremus: modo ab iis, qui adsunt, majori alacritate eximia tractarentur studia. Quae vero facies Academiae exceptura sit, nisi prava emendentur mature, ei demum obscurum esse potest, qui ingeniorum inertiam, industriae frigus ac veterum, malitiae specimina, vel non videt, vel quantum mali ea res habeat, parum animadvertit. Exigua, fateor, regio Schaumburgica (in qua velut ocellus micat Alma nostra) tantam discipulorum copiam nostris destinare nequit disciplinis, quantam ampliores provinciae, suis suggerunt Scholis Regiis. Sapienter tamen a Serenissimo Fundatore: *Academia, in oppidum hoc, ad fluvium Visurgim, in confinibus Saxoniae & Westphaliae situm, translata, impetravit locum, non modo Musis & Studiis aptissimum, sed importandis victualibus apprime commodum*; multis nempe urbibus & provinciis circumdatum atque conterminum. Vastissima Westphalia, florentissima Hassia, Bremens. & Verdens. Brunsvic. & Lynæb. Ducatus, (ut alias taceam ditiores vicinas) possent, largissimo compensare augmento, si quid Schaumburgicae hac in parte deesset. Nec illius arctum spatium, praecipue obstat Incremento Academiae; colligeremus frugem messemque optatissimam, è studiosae juventutis cultura, si omnibus Schaumburgicae incolis, Academia nostra aequè in animo, quam in oculis esset. At displicet multis, quod in patria, quod in pro-

Conf. Acad.
demie
Matricu-
lam ab
Anno 1611
ad 1660.

pinquo est, exotica majoris æstimii habentur. Liceat verò in nostræ Regionis & Academiæ encomium dicere, quod à Comico Damoxeno de urbe & insula Coos dictum, illam, mole parvam, θεὸς φέρειν, Deos proferre. Protulit enim eximios divinæ Sapientiæ Mystas, inclytæ Justitiæ Sacerdotes, felices Sanitatis Curatores, præcipuæ Eruditionis ac Famæ Philosophos & Philologos, aliosque magnæ autoritatis Viros, qui in Academia matriculam recepti, eandem studiorum suorum matrem agnovere. Et quid dico protulit? imò profert, & adhuc alit, qui magno emolumento Ecclesiis, Scholis, Reipubl. præsumunt, & quondam, è nostra manu missi disciplina, (uti speramus ac vovemus) publico egregio prodesse poterunt. non pauci, in quibus

Veteris vestigiarecti

*& mores videas ductos meliore metallo. **

Causa calamitatis Acad.

Conf. L.
Balth.
Raw. orat. de ruina Acad. Gryphsw. Ioh. Doman. vindic. pro VVestphal. Dav. Chytræi orat. de VVestphalia.

Nempe calamitatis nostræ causam si exquiramus, non cœli ac soli vitium est, nec defectus occasionis, ad acquirendam Poly-matheiam, nec etiam, qui culpari meretur, disciplinæ atq; officii neglectus, sed quod erga bona nostra satis cauti & grati esse nolimus. Nihil alias, in Academiam nostram dici potest, quod non, detrectatores ejus, vel inscitix vel malevolentix arguat, nihil pro ea, quod non veritas agnoscat. Verum scæva atque acerba ista missa faciamus, atq; remedia, quæ nutanti reip. nostræ literariæ, Atlantis instar succollare queunt, accedamus.

* *Euere Academiæ nostræ Cives Studiosi, Generosi Barones, hujus & aliarum regionum Nobiles ac Patroni, Professores moderni; & alii Viri Celeberrimi, quos inter Nevelinus Tilhen Ictus, Cancellarius Lippiacus, I. Köhler Consiliarius Brunsv. Ducis, Ioh. VVeslingus Medicus Patavinus, Vincent Mollerus Ictus, Reg. Suec. Resid. Hamb. Ioh. Frid. Gronovius Prof. Lugd. Bat. Ioh. Claubergius Prof. Th. Duisburg. Iac. Gerschovius I. V. Doct. & Profess. Gryphsw. D. Ioh. VVachman Synd. & plures DD. Bre-mæ ac alibi, Quatuor Fratres Danckelmanni Lingâ VVestph. qui An. 1659. summos in Vtroque Iure honores Heydelbergæ in juvenili obtinere etate, &c. Magisterii gradum hætenus heic impetrarunt CIII. Viri. Juvenes. in Medic. III. Doctores Iuris creati sunt XLI. Doctores Theologiæ VI. & II. Licent. Hos antecessores,*

Sit laus, cura, labor, sit studiumque sequi.

Initio

Initio arbitror, supplicandum esse Deo, atque iis verbis supplicandum, ut benè ominatis vocibus, grates deferamus, summo Academiae nostrae Statori, eumque Opt. Max. tutorem & restauratorem, pro felici Academiae Incremento, hoc temporis articulo, quo sanctuarium ingressi sumus, & deinceps imploremus. Est quidem Dei numen, nunquam non precibus accedendū, quia nunquam ejus ope atq; auxilio carere possumus, sed eae preces, quae pro novo Academiae flore, in novo regiminis auspicio concipiuntur, reliqua invocationum momenta, suo quodam genere complectuntur. Ut principia posita sunt, sic caetera consequuntur. Tibi ergo, aeternè omnipotens Deus, cujus nutu, ope, verbo & Spiritu Academiae nascuntur, fulciuntur ac incrementa capiunt, Tibi, inquam, cuncti ordinis nostri sospitatori, grates devotas & habemus & agimus, quod inter tot ruinas Regionum & Academiarum, nostram hanc ab interitu servasti. Munus hoc bonitatis tuae proprium, inter nos, esse jube perpetuum. Tu Academiae nostrae fundus, tu custos, tu rector fuisti, à Te omnia habemus, Tibi omnia debemus, à Te omnia meritò expectamus! Almam nostram, felicitate, ut placuerit, cumules, augeas, amplifices, ut ab incommodis, quibus cum luctatur, tuo beneficio liberata, caput floridissimè exerat!

*Causae incrementi
Academici*

*Divinae
gratiae*

*Precibus
expetenda.*

Has grates & preces, par est, unumquemque nostrum devoto usurpare animo, atque ampliores his ipsis concipere. Et ad optata reflorescentis Academiae nostrae auspicia, oportet mentem

*Præci-
puum re-
mediam
pro
inremen-
to Acad-
mia.*

*Conf. D. Io.
Geor. Dor-
schæi O-
rat. de e-
mendat.
Tempo-
rum.*

mentem Deo gratam offerre, eamque amore piæ veritatis, bo-
ni consilii, salutiferæ scientiæ, candidæ dilectionis, sobrietatis,
aliarumque virtutum fulgore collustratam, retinere, & cum
vitæ cursu adæquare. Ita Academia capiet sperata incremen-
ta, si veteres, quarum causa initio fundata est, recolamus artes
ac virtutes. Emendare tempora, & corruptam felicitatem, ad
primævum exemplum restituere, palmarius noster nobilissi-
musque labor sit. Et verò, insigne, ad temporum emendatio-
nem & reparationem desideratæ felicitaris Academicæ, mo-
mentum adfert, si institutis, ad suprêmam voluntatem com-
positis, suum decus pristinum nostra hæc tueatur Academia.
Novimus Deum Opt. Max. istam animi mentem, *Illustrissimo
ac Celsissimo Principi Domino ERNESTO Domino & Fun-
datori nostro Gratosissimo*, quondam dedisse; ut hanc ædem,
in templum pietatis, virtutum officinam, arcem sapientiæ, o-
mniumque laudandarum artium sedem, bono orbis Christia-
ni erexerit atque aperuerit. Colligite nunc, *Auditores Specta-
tissimi*, leges emendandi tempora, & advocate consiliorum
de procurando Academicæ nostræ incremento penetralia, &
ab illis requirite, an quicquam sanctius, efficacius, rectius, pro
Academicæ nostræ flore proferri potuerit, quam quod initio
foundationis statutum est. Nihil agemus, nisi facto ipso osten-
damus, ex hoc fonte, nos omnia bono Acad. publico conse-
cranda negotiâ, hausisse. Ornamenta præsentium, futuro-
rumque temporum feliciora incrementa, ex nostra hac Aca-
demia depromenda erunt, nisi desit accipientium promptitu-
do. Intelligimus opinor, omnes, si infeliciorem Academicæ
statum emendari velimus, & Academicorum præcipuè mo-
res, emendandos esse. Hoc jubent, *Patroni nostri Clementissi-
mi*, quos Deus suæ munificentiae in hanc Academiam admi-
nistros

nistros esse voluit, quibus hæc Academia ortum, progressum, privilegia, quibus augustum & illustre nomen, quibus se totam debet. Inter ipsas etenim belli calamitates, quum inculta quædam & horrida illuvies Germaniam occuparet, & si omnia incerta atque turbida erant, de iis tamen rebus, cogitavit Divus ERNESTUS, in erigenda hac bonæ mentis palestra, quibus ornari otium duntaxat atque pax solet. Et qui *D. ERNESTO* successerunt *Serenissimi Illustrissimi Domini, Acad. nostræ Nutritii benignissimi*, non solum amplissimarum Provinciarum & opum, sed virtutum longè præstantissimarum hæreditatem ad eundam sibi existimarunt. Adeoque cum in cæterarum possessionem venissent, mentem quoque & regiam munificentiam, in promovendo Acad. incremento sibi negligendam non putarunt; ut, quod summa prudentia erat inchoatum, non minori constantia & liberalitate conservarent. Ea autem fine, in his regionibus, autoritate Dominorum nostrorum publica, excitatæ, reparatæ ac servatæ sunt ædes, Academicorum operis atque exercitiis idoneæ, ut, inter libertatis & possessionum discrimina, decus sibi immortale, & gloriam ex disciplinarum perennitate adderent, ac nominis Divini honorem, & plurimorum hominum commoda promoverent. Non est profectò nostrarum virium, illa summæ Munificentiæ, tam ampla, tam diffusa, tam insignia documenta, ita vel cogitatione complecti, ut nihil omittatur, vel oratione prosequi, ut nihil non pro dignitate afferatur. Quî verò possimus aut debeamus tanta præconia vel penitus tacere, vel quî possim aut debeam ego, unius horæ curriculo, ac penè sub manibus nata dictione, immensa illa beneficiorum agmina, concludere? Vigent ea in publicis monumentis, versantur in celebritate omnis Europæ, vivunt in animis bonorum omnium,

Summorum Patronorum Beneficentia.

Conf. D. Chr. Ioach. Bucholtz Orat. de Statu Acad. Ernestinæ.

Finis & magnitudo beneficentiae Patronorum.

Conf. M. Christoph. Heidmanni Orat. de novo Iulæo

B

extant



extant & extabunt ubivis locorum, in hac præsertim optimarum artium & parente & alumna Academia. Illa jam, quâ par est submissione, supplicat orat & obsecratur, quo sub summis Maximorum Patronorum auspiciis, maneat salva, florida, multisque bonis reddatur ornatio. *Serenissimum ac Celsissimum Principem ac Dominum DN. VVILHELMVM VI. Hassiæ Landgravium, Hersfeldiæ Principem, Comitem Cattimeliboci, Deciarum, Ziegenhaina, Niddæ & Schaumburgi, Dominum nostrum Clementissimum. Et Illustrissimum ac Generosissimum Comitem ac Dominum DN. PHILIPPVM, Comitem Schaumburgi, Lippia & Sternbergæ, Dominum nostrum Gratosissimum*, implorant devotissimæ Musæ Hassio-Schaumburgicæ, ut germinare sinant beneficia; quæ clementissimo affectu contulerunt. Quid enim Munificentissimi Heroes, Academiæ incremento unquam negarunt? quid non ultrô ad conservandum Lycæi florem, benignissimè largissimèq; conferunt? Tantis Mæcenatibus dignum est, de quam plurimis benè mereri, & universo mortalium generi commoda longè maxima conciliare: aut, si id fieri non possit, suis tamen subditis, tutelæ suæ commissis ac subjectis rectè consulere, tum & extraneis fontes benignitatis & munificentia non claudere. Divinitus videlicet, à principe Philosophorum, ad regum Regem Alexandrum scriptum, nostrorum Nutritiorum animis penitiùs inscriptum est: *Imperium in beneficentia consistere, sive esse ipsam beneficentiam.* Et quod *Q. Aurelius Symmachus Hesperio* dixisse fertur: *Specimen esse florentis Reipubl. ut disciplinarum Professoribus præmia opulenta pendantur.* Istud omni conatu *Serenissimus Princeps & Illustrissimus Comes, hujus Universitatis Patroni, Domini nostri clementissimi*, agunt largissima munificentia, ut ad hoc sapientiæ theatrum, major cottidie

Conf. disert. Ioh. Smideliæ de Præmiis.

cottidie fiat concursus, ab his, qui doctrinae & virtutum exempla & ornamenta petunt. Decretissimum est, constituto ex publicis redditibus communi convivatorio, ad litterarum studia in hanc Academiam, istos etiam, quibus res est angusta domi, invitare, omnesque nomine & re Studiosos, undecunque adveniant, (atque utinam, agmine facto, plurimi, bene morati ac scientiarum cupidi, venirent!) in suam tutelam, summa benignitate suscipere. Hinc incredibili voluptate tota literatorum cohors affecta, diem, quae auspiciam dabit tanto muneri, omnibus expetit votis; intelligendo, verè quondam ab historicorum latinorum principe prolatum esse: *Animo cupienti nunquam satis festinari.* Quoniam verò ab oratione in depraedicandis hisce beneficiis deserimur, officii pietas, ingenii & eloquentiae inopiam supplet, & quae verbis exprimere nequit, humillimis involvit votis: Optamus Augusto nostro, Trajano nostro, ut iis Augusti felicitas, Trajani bonitas perpetua fiet, quin superent maximo intervallo utriusque & aetatem & gloriam!

Proximum est, Summates literatorum, Evergetae & Curatores Academiae, Magni Summorum Nutritiorum, Viri-Consiliarii, audiant Academiae, meas quasi partes occupantis, voces. Agite, inquit illa, *Viri Patroni, Benefactores Incltyti, Viri in tantum aestimandi, in quantum virtus & eruditio intelligi possunt;* quandoquidem omnium rerum arbiter, summusque Magistratus, Curam meae Vobis demandavit, auxiliatrices manus mihi praestate, à quibus incrementi vigorem spero & splendorem nominis depono. Admovete rei literariae, doctrinae & disciplinae Academicæ, eas vires & facultates, quemadmodum par est, & vestrae dignitati consentaneum, quo intercepta crescendi virtus mea virescat, prolixiori germine.

B 2

Servate

Communi
Convivato-
rii consti-
tutio
quantum
augmen-
tum Acad.
afferet.

salust.

Favor
Consilia-
riorum.

Conf. D.
Conring.
dissert. de
Studiis Li-
beral. art.
ad l. 1. Cod
Theod.

Servate Vestra autoritate immunitatem Academicorum, ne honesta illorum studia malevoli interturbent. Demonstrate illud de vobis celebrari elogium: Vos almæ studiorum matri, afflictæ quasi viduæ, consiliorum gravitate & dexteritate felicissimè ac tempestivè adfuisse. Sed & alia, vobis perspecta ac commoda ratione, emolumenta docentium & discipulorum promovete, utque, *Domini nostri Clementissimi*, fortiter tueri, benignè fovere, & indies magnificè ornare hoc liberalium artium emporium, non desinant, consiliis vestris suadete & adjuvate; ne ulla in re, res Academica, capiat detrimentum. Audivistis *Mecenates Venerandi*, quo pacto Academia, salutem vobis suam, & gradus sperati incrementi, submissè commendet. Cumque ea sapientia sitis, ut nihil auribus Vestris accedere possit, quod prius animo probè non comprehenderit; & non minus voluntatis propensissimæ, quam summæ facultatis habeatis, non dubitat, quin omnia, quibus Acad. incrementum nititur, sint vobis commendatissima. Vestro amplissimo favori & salutiferis consiliis se tradit Academia, sperans, se tantis subnixam præsidis posse surgere altius

Professo-
rum Offi-
cium.

Quantum lenta solet inter viburna cupressus. Neminem vero esse arbitror ex nostro coetu, *Patres & Cives Academici*, quin frequenter de his plurimis ac longè maximis beneficiis, secum cogitet, quibus Academia hæc in hodiernum diem à Deo, & *Serenissimo Principe, & Illustrissimo Comite*, eorumque Consiliariis, fautoribus ac conservatoribus nostris, afficitur. Neque quisquam, virtutis studiosus ambigit, quin opera nobis danda sit, ut ne ingrati in tantorum benefactorum auctores videamur. Et vero si memores beneficiorum, si pii, si grati, si diligentes erimus, invitabimus omnes bonos ad ulteriorem beneficentiam, magnisque passibus Academia capiet incre-

incrementum. Erit liberalium artium mercatus, modestiae & humanitatis officina, pietatis sacrarium, sapientiae, veritatis, omnisque virtutis amphitheatrum, aurora felicitatis omnigenae, praenuncia. Proinde & nostrae cura, quantum in nobis, Academiae Incrementum, a quo tot hominum felicitates dependent, procurandum. Quemadmodum enim in augusto aedificio struendo, illi, qui minutis lapidibus, terrae arenis, & aliis id genus importandis, manum admovent; Opus illud, cum praecipuis architectis promovere dicuntur: Ita praeclearo coepto, quo Academiae incremento procurando Viri, nostra laude majores, incumbunt, & studia Academica juvare magis magisque cogitant; nostram operam, licet exigua videatur, multum subsidii allaturam esse confidamus, & quicquid valeant humeri in egregium conferamus publicum. *Nullum enim munus (ut Ciceronis verba mutuemur) adferre reip. majus meliusque possumus, quam si docemus & erudimus juventutem, his praesertim moribus & temporibus, quibus ita prolapsa est ut omnium opibus refrenanda & coercenda sit.* Accingite Vos, pl. observandi Dn. Collegae, ut haecenus fecistis, & facitis magno studio magnoque commodo, propius operi, quo nullum ferè inter mortalia gravius & utilius reperitur. Animadvertitis, summa opus esse providentia, ut Academiae succurramus; nec minori diligentia, quo studia omnium disciplinarum redintegremus & magis magisque excitemus. Ex hac gemina virtutum complexione, doctrinae morumque integritati innixa, efflorescet illa autoritas & fama, quae plurimum momenti ad incrementum Academiae nostrae continet. Proderit, uti antehac profuit, & hodierno adhuc die prodest, ad colligendam apud externos, magni nominis existimationem, ad depellendam

Conf. D.
Petr. Cunei, Orat:
de Natali
Aca. Leyd.
& de praestantialiterarum.

in docendo
dexteritas
assidua.

Conf. Joh.
Andr. Bosii
exercit.
de chara-
cten bona
reipubl.

Studium
Concordiæ
quo res
parvæ cre-
scunt.

Camer.
Cent. 3.
har. c. 53.

Legum
observatio

Conf. Ad.
Th. Siberi
Orat. 7. de
Legib. A-
cad.

omnem iniquam calumniam & suspicionem, quæ Acad. nostræ detrahit. Nam, ut sciant immites censores isti, hoc ipso tempore habemus viros præstantissimos, qui & scriptis & voce efficere valent, ne quid in ullo scientiarum genere, studiosa juventus, nisi aliud agere velit, desideret. Scientiæ, non adulterinis coloribus incrustantur, sed fide quam optima & excoluntur & traduntur. At, ne quid jactantius dixisse videamur, hoc silentio præteribimus. Exequamur potius, quod officii ratio nos monet, in qua, omnis difficultatis acies hebescet, si publici boni concursus accesserit studium, quod nos in hanc usque lucem servavit. Vocibus benè simul sonantibus, gravior imò suavior fit concentus: & major suavitas atque felicitas Academiæ nostræ parabitur, si omnes, junctis animis ac laboribus, quod nostrum est, præstemus.

*Est pares: & ob hoc, concordēs vivite. Nam vos
Et decor & virtus & amor sociavit & etas.*

Verum enim verò, non docendo solum & monstrando Viam Regiam ad rationis pariter & orationis humanum illum & genuinum usum, bonæ mentis cultores convocare, colligere, fovere decet; sed & Legum Academicarum, quibus sacramento nos addiximus, sancta observantia & custodia, Curæ nostræ partes diffindit, quo facta atque illæsa nostra vigeant Jura, ne ullius malitia aut negligentia violentur. Non possunt vero non, illi, felicitati ac incremento Acad. nostræ obesse plurimum, qui bonas haut servant & tuentur leges. *Oportet unumquemque nostrum mentem suam ita comparare, ut ab inobedientia & improbitate pura sit.* Hoc effatum Zaleucus Locrensi-um legislator, imò, si altius vim ejus rimari licet, ipsa Numinis Divina Majestas, tanquam vitæ regulam, posuit: nec aliud Leges nostræ inculcant ac suadent. Ne igitur ordo literatorum,
qui

qui cœteris exemplo esse debebat ad virtutem, paucorum vicio, permultis invisus reddatur, atque ab imperitis etiam contemnatur; omnia vitia, quæ Scholis pellendam obscœnitatem continent, proscribamus. Effet hoc, integræ & utilissimæ orationis argumentum, iudicio magni *Casauboni*, cujus hæc sunt ad *Theod. Bezam*: *Non excidere mihi sermones, quos una habuimus, de pellenda scholis obscœnitate; habendæ ejus argumenti orationi tempus erit, cum dedicanda fuerit ea, quæ nunc instituitur schola.* Nostrum, *Honoratiss. Dn. Collegæ* iudicium semper fuit, nihil æquè fugiendum, nihil sollicitius cavendū, quam ne Cives nostri, maculam intemperantis, scurrilis, ingrati atque inconstantis animi conciperent: hæc obscœnitas, incremento Acad. nostræ exitialiter nocet. Porro & alia cura in procurando Acad. incremento nos habet exercitos. Obversat animo, eximia Bibliopolii copia, & bibliothecæ nostræ restauratio; nam & his fulcris Academia surget. Beatos illos, quibus licet esse tam beatis, ut instructissima libraria suppellectile uti liceat. Est enim librorum copia, ita cuivis Academiæ necessaria, ut non magis illâ sine incommodo suo possit, quam domus aliqua faberrime exstructa, suppellectile destitui. Ubi bonorum librorum in promptu sunt subsidia, fieri poterit, ut multa erui atque in lucem proferri, veritati laboranti succurri, adversariorum artes & doli facilius deprehendi atque convinci queant. In libris, omnes rerum divinarum & humanarum scientiæ revocatæ atque assertæ suo nitore splendent. Ideoque publica autoritate & clementissima ope summorum Patronorum, invenienda erit ratio, ut hoc necessarium instrumentum Academiæ curetur. Fortunet omnipotens, eorum Consilia, qui de egregiis libris in usum Acad. comparandis, solliciti sunt, idque brevi fiat, toto pectoris affectu opto, aveo, voveo.

epist. 116.

Conf. D.
Ioh. Qui-
storpii O-
rat: de
scurrist.
Acad. &
L. 1. Cod.
Theodos.Librorum
copia &
Typogra-
phicæ ordi-
natio.The. Spize-
lii de Sinē-
sium lite-
rat:Camer-
hor. subc. 5.
c. 3. cap. 72

Labbeus
in nova
Biblioth.

l. 9. ep. 190

Marc.
Zver. Box-
horn. &
Ioh. Henr.
Boecler. de
Typograph

Aliarum
rerum que
Acad. in-
serviunt
dispositio.

Ioh. Feldē
in analys.
l. 8. Pol.
Arist. c. 3.

D. Buch-
holtz Orat.
de statu
Acad. Er-
nestina.

voveo. Hæc, sua luce sunt conspicua, & averfantur, uti de vir-
tute *Symmachus* loquitur, auxilium alienæ commendationis.
Interea, ad rem literariam juvandam, nova, priori, non absimi-
lis animo nostro se offert cura, de Typographia. Nacta est A-
cademia hæc, elegantissimos typos, nec Batavorum aliorum-
que hac in parte gloriæ quicquam cedit. Calcographia vero
sunt conciliatrix notitiæ, monitrix industriæ, hujus beneficio,
omnibus & citò & semper loquitur, quisquis per impressa mo-
numenta in publicum aliquid loquitur. Utinam verò impen-
sæ fierent, in libros eximios utilissimosque, qui suo merito in
lucem vel revocandi vel promovendi; atque alacriori typo-
thetarum industria, impressa ingenii monumenta, non hic
angustiis officinæ typographicæ, verùm in publico celebri-
orum locorum mercatu exponerentur. Sic feliciori auspicio,
non typographia minus, quam literaria Academiæ res conva-
lesceret & invalesceret. Quin & juvabit incrementum Acad.
nostræ, teste sermone exoterico, si præter spartas optimarum
disciplinarum, quæ nobis Professoribus sunt demandatæ, alia
munia injungatur aliis, ut exoticas linguas, Gallicam, Italicam
ac similes nonnulli discere, & Gymnasticam exercere possint.
Datur in illustri nostro Athenæo quædam, ut illa comparen-
tur, occasio, atque in votis est, perficiatur magis magisque. Præ-
stantissimus Philosophorum, *iste*, qui, docente Siberiano ana-
grammate, *sol erat*, talia inter optimæ disciplinæ adminicula
recenset; & in illum Aristotelis locum, non nemo Politico-
rum scribit: *reprehendendos esse, qui ab Academiis artem equi-
tandi, pugillatoriam, saltatoriam, rejicere volunt, cum insigne
addat ornamentum, & ad sanitatem ac virtutem conferat*. Nec
desunt, qui insignem incrementi Acad. causam & in eo po-
nuunt, si prædia, redditus, & bona, in quibus Dos Acad. consistit,
per

per Dei gratiam & Liberalitatem summorum Patronorum, porro vigeant. Si item utriusque horti & pascuæ & aliarum rerum commoditates floridiorem reddant Academicorum statum; si hæc nobis, nostramque desiderantibus opem fructuosa sint. Part. 3a Statutor. tit. 12. 13. Prout & de Pharmacopolio in Acad. nostræ statutis prudentissimè cautum. Compellandi sunt & cæteri, qui aliqua operâ Academiae serviunt, quosque vocatio, ad emolumentum ordinis Academici procurandum, obstrinxit; ne illorum incuriâ, dum forte privata respiciunt commoda, publica paulatim imò confertim negligantur. Nam & illa minora, quia publicis sæpè remoram injiciunt, magnopere curare debemus. Incolarum hujus Oppidi studium. Sed quid differo, quod majus est, exprimere? Qui statuit, magnum aliquod in procurando Acad. incremento bonum, in oppidi hujus commoditate positum, si incolæ meliori in Academiam animo & studio essent, is nimirum

Et sapit Et mecum sentit Et Iove judicat æquo. Oppidani quidam, ut apparet, non modo non æstimare amplius, sed prorsus fastidire videntur studia Academica & eorum cultores. Rectiorem mentem, iis, qui ob *εὐτέλειαν τῆς διανοίας*, uti Philosophus intelligendi simplicitatem vocat, ita putant, dubio procul suggerere poterunt prudentiores. Et docebunt illi incolas Rintelienfes, non solum eos ornamentum capere maximum & pulcherrimum, sed & summum emolumentum ex Academia. Quæ Verum Palladium est, coelitus missum, quod, quamdiu intra urbis menia custoditur & retinetur, omnia, Deo propitio, salva sunt atque incolumia: Simul ac verò supiniùs aservatur, aut etiam plane negligitur, jam non unus Diomedes atque Ulysses, astutiâ & audaciâ sua eò cives redegerint, ut servari, ne salute quidem volente, ullo modo possint. Sunt in aliis locis, ad Academicorum usum obvii & officiosi opifices, Boeckl. de causis Incrementi rei literar. insti-

D. Io. Thomae de nundinis.

Ernest. Cothm. in Prefat. Resp. Acad

Noctes Granzovianae c. I.

Arist. l. 4. Pol. c. 4. Febyvinger de arte Chremast.

institores, & quisque incolarum, non sine suo commodo prodesse studet Academiae. Quod si & heic, ut fit alibi, in hebdomadariis nundinis publica instituendis autoritate, quaedam ad victum apportarentur, meliori loco res essent. Cumque fortunæ bonis dispares, Academiam adeant, gratum erit, musarum cultoribus tenuioris sortis, si pro tolerabili precio, ciborum apparatu & domiciliorum commoditate ab incolis excipiantur; ne cum sanitatis ac studiorum dispendio, se ipsos alere, aut nostras vitare sedes teneantur. Cives aliarum urbium, quæ hospitium Academiae præbent, ad hanc rem attentiores, exemplo laudabili & utili nostros incitant; adornatis enim in studiosorum commoda mensis, museis, rebusque aliis, sic satis vivunt felices. Si tantum laboris, operæ atque diligentia, vestris agris, arboribus & pecoribus impendere consuevistis, ex quibus fructum aliquem vos percepturos speratis, quid in Academia, re tam fructuosa fieri decet? Neglecti agri, (uti meministis, qui nimio impetu terram colitis) sylvescunt, lappas & tribulos tantum ferunt; & homines ingenio inculti, qui ex fimo & limo ditescere satagunt, & veras inibi figunt opes, brutescunt, atque errorum vipreta ac vitiorum spineta producunt. Et, quid indocti divites, nisi aurea mancipia? Videtur quoque, si dicere fas est, nimis assidua incolarum agricultura, dum susque deque habentur reliqua commodioris chremasticæ opera, Academiae & oppido nocere. Debet Civitas, ex ijs, qui diversa vitæ genera sunt amplexi, constare. Quia vero cuncti, vel certe nimis multi, eandem vitæ rationem in agro colendo sequuntur, evenit, ut mutuas sibi, aliisque desideratas operas præstare nequeant, nec fieri aliter potest, quin Acad Cives, rebus vel necessitati vel commoditati servientibus, destituantur. Dum enim omnes, & plerique in alieno fundo desudantes, agrum

agrum colunt, quis cætera, ad commodè vivendum vel sal-
rem ad vivendum utilia, suppeditabit? In Turcia fieri refe-
runt, ut, cum omnes cupiant in militiam proficisci, nemo a-
grum colere, magna ibi sit annonæ caritas, etsi Turcicus Imp.
amplissimas, multisque locis fertilissimas Regiones, habeat:
Nostris præ agricultura, cætera ferè sordent omnia. Audias
inde querelas, quas cordati boni publici æstimatores, nobiscū
effundunt, quod incolæ ad opificia, ad victum & amictum be-
nè in aliorum usum parandum, sint negligentiores, quos natu-
ræ dotes, quibus Deus hanc ditavit urbem, ad solertiam pote-
rant excitare. Ne alia, quæ severiorem merentur expostula-
tionem, adducam, annon Visurgis, celebris fluvius, piscium e-
xamina continet? At hîc, squamigerum genus, carne ferina
rarius, carius. Et licet, quo ad alia ciborum genera, hæc regio,
sponde sua confert, securam commodam vitam, tamen aliundè sapius
adferantur, necessum est, --- *delectamenta ciborum*

Berneg. q.
77. in Ta-
cit.

Ioh. Hott-
terus in
rudim.
Cosmogr.
c. 20

Sive ea dura fames reperit, sive ipsa voluptas.

Floret nihilominus, & superat difficultates, Academia, quæ a-
nimis ambrosiam & nectar tribuit, atque incolarum liberos
aliosve ingenuos, bonis consiliis & scientiis ad optimam in-
struit vitam. Certo nobis persuademus, communi & publi-
co consilio, rerum quarundam emendationem planè suscep-
tam iri. Et præluserunt spei nostræ, Patroni, quos pulcherri-
mus successus & rei necessitas ulterius invitabit. Nos, his reli-
ctis, magis explorata, & quæ sunt nostri fori, sequemur, finem
facturi in iis, quorum imprimis gratia Academia nostræ incre-
mentum, omni desiderio & studio flagitamus. Vos nempe re-
spicio, hujus Academia cives, *Juvenes præstantissimi*, ad incre-
mentum Acad. destinata pectora, boni seculi futura organa,
Spes Patriæ, Spes Ecclesiæ, Spes Reip. Animadvertitis debere

Studioso-
rum inda-
stra &
proba vi-
ca

Vos animis alacres atque exercitatos esse, ut si unquam alias,
 nunc certe, omnem operam ad Acad. nostræ florem confera-
 tis, nihilque honesti atque egregii præter mittatis. Nam nul-
 la vobis amplius, neque ratio neque excusatio, quo minus,
 quæ optimis studiis vestris paranda sunt, suscipere velitis, re-
 linquitur. Quod ostensa vobis sit occasio, quæ ad emolumentum
 publicum grave affert momentum, modò ea uti cupiatis, id
 divinæ benevolentiae munus equidem statuerim. Hanc a-
 vida mente arripite, & quantum sit sapere, quantum sit, quod
 nescimus, cogitate. Ad metam vos pervenisse nolite putare;
 Prudenti, ait Euripides, diffidentia, nil est melius, nil utilius
 mortalibus; Sic obtinebitis, in æstimabili beneficio Friderici
 Imperatoris, aliorumque procerum, studiosis concessa privi-
 legia. Gaudent viri boni, magnaque voluptate afficiuntur,
 quum ea suscipi gerique vident, quæ publicè prodesse, aut cer-
 tè profutura intelligunt. Publicè autem, si quidquam aliud,
 huic Acad. expedit, honestissima studia, ab iis, qui studioso-
 rum nomen, profitentur, diligenter & sedulo coli. Fallere ve-
 ro bonorum expectationem, grave profectò fuerit, turpius
 etiam, tempus, rerum mundanarum omnium pretiosissimū,
 & pecuniam male collocare, fidemque datam violare, omni-
 um denique acerbissimum & miserrimum, conscientiam su-
 am convulnerare & divinam in se iram, offensionemque pro-
 vocare. Gratulamur autem Acad. nostræ meritò, de *Nobilis-
 sima Studiosorum Coronâ*, quæ insuper habitis consociationi-
 bus illis, quas Cæsar, proximas esse criminibus dixit, subsellia
 Acad. sæpius implet, docentibus discendi cupidas præbet au-
 res, sequæ totam ad spem melioris seculi disponit: fugit istos,
 qui, magno precio desidia sectantur, omniaque ad ignavi-
 am & voluptatem revocant. Nemo enim voluptuoso genio,
 igna-

Joh. Caseli-
 us Orat.
 Valed. Ro-
 stoch. ha-
 bita.

In Hecuba
 Salmas. in
 Epist.

D. Bech-
 man de
 Privileg.
 Studios.

August.
 Buchneri
 dissert. 2.

Joh. Henr.
 Vrsini in
 Anal. Phi-
 lol.
 l. 1. Cod.
 Theodos.

Jac. Tappi-
 us Orat. de
 abusu Ta-
 baci.

Jac. Seb.
 Lauremb.
 Orat. Or-
 bis Ba-
 hams.

ignavo otio, & publico Academiae usui & in incremento simul paruit. Pergite, quod facitis, *lectissima Musarum coracula* optimis studiis & exercere vos & oblectare, ipsa loci incomparabilis amoenitas Vobis incitamento sit. Hoc Musarum hospitium, intra saltum florentissime conditum, instar Parnassi montium & sylvarum coronam cinctum, fertilissimo agrorum proventu, pulcherrimo fluviorum ambitu ornatum. Conscendite strenua mente Parnassum, conscendite Heliconem, sub hac aut illa viridissimis diffusa ramis lauru acquiescite, ejus frondibus, coronas immortales texite, fructu jucundissimo vos recreate, limpidissimis illis, dulcissimis atque uberrimis fontibus totos vos ingurgitate, consuetudinem cum Phoebocolite. Praesens annus, stupendis & memoratu dignissimis rerum periodis, nobilitatus * commonefaciat vos, quo novo conatu, ardua, & in publicum privatumque bonum profutura maturè suscipiatis negotia, & quae obesse poterunt, vitetis mala. Si sint, qui fastu aut fastidio ducti, *vobis Cives Acad.* instillent illam Caji Marii efferatam & indignam bono viro vocem, non debere literas placere, inutilem esse scientiam, nec prodesse disciplinas: aut hoc illove tempore, in probis studiis diligentiam non modo non proficuum, sed noxiam esse. Illorum commenta in triviis extremae barbariei concepta, ipso facto retundite. Doctrina debet ad facta tendere, non otii aut in utilis loquacitatis causa usurpari, quod olim dixit *Philopæmenes*, & *Epaminondas* praestitit, cum Philosophiam sine mollitie & desidia sequeretur, eamque Magistram ad robur & Prudentiam

* Obiit hoc anno Rex Sueciae Potentiss. *Carolus Gustavus*: Pax admiranda celeritate constituta inter Caesar. Hispan. Gall. Suec. Polon. Dan. Brandeb. &c. mortuo Oliverio Cromwell. *Carolus II.* Regnum Britan. recuperavit. Ienens. Acad. mens. Augusti nupere proh dolor afflicta Studiosorum & Civium discordia, & alia insigniora gesta sunt, quae annales referent.

Melch. de
la Cerda
Camp. Elo-
quent: vol.
2. de gr.
Baccal.

Diarium
Europaeum
de rebus
gestis:
in anno
1660.

Henr. Agripp. de
vanit. scienti.

Corn. Nepos de Epaminonda.
G. Stokken
in Annenit. Histor.
b. 2.

M. Ioh.
Fabricii
Orat. de
admirab.
eruditionis
vi & sup-
pellectile.

Plurarch.
in Lucillo.

faceret. Fac & hoc eximia studiosorum concio, magnum Iovis incrementum, & industriæ assidua contentione Acad. hujus incrementum promove. Quæ operosa sunt, *Juvenes Politissimi*, gloriosa erunt; Erunt autem si cum ignavia pugnam, cum segnitie luctam, cum inertia certamen suscipiatis, si imperitiam è mente, ruditatem ab ingenio, socordiam è pectore tanquam de statu suo dejiciatis, eoque omni animi corporisque nisu incumbatis & contendatis, ut in gradu diligentiae, eruditionis & modestiae, firmo atque immoto pede consistatis. Ita *commilitones suavissimi*, cum Lucullo dicamus: pugnemus strenuè, ut diem, si quis est infaustus atque ater, candidum auspiciatumque faciamus. Nullo tempore noxium est bonas colere artes, in quibus praesidium atque emolumentum rei privatae & publicae enitescere solet. Ingeminamus illud veterum: *Dii, probos mores docili Juventa date!*

Andr.
Thserning.

Atque haecenus protuli *Aud. omn. Ord. Spectatissimi*, quid mihi videatur, de procurando Acad. incremento; Quod si idem Vos quoque sentiatis, à vero nil abesse me arbitrabor, si autem vestrae sententiae, à mea opinione discrepent, non modo molestè non feram, me à vobis doceri, sed, si quis certiora ostenderit, magnam ei gratiam habebō. Non tamen dubito, quin eas, quas attuli plerasque incrementi Acad. causas, suffragiis vestris sitis comprobaturi, quibus vestrum quisque *Dn. Evergeta & Collega honoratiss.* eas addat, quae tenere se arbitratur; omnes enim Iustissimae certe erunt, & illo animo, illa virtute, illa sapientia, quae Vos ornant, dignissimae.

*Scilicet hoc unum, pacis post fœdera restat,
Consiliis & Revelificare Scholis.*

D I X I.

✻ ✻ ✻

Nomina Professorum in Acade-
mia Ernestina ab initio foundationis 1621.
ad Ann. 1660.

S. Theologiam olim docuerunt

Johannes Gisenius, Josua Stegmannus, Eberhardus Me-
somylius, Balthasar Mentzerus SS. Theologiae Doctores,
& M. Andreas Henricus Bucholtz.

Eandem nunc profitentur

Johannes Henichius, Henricus Martinus Eccardus, Petrus
Mufæus SS. Theologiae Doctores.

*Facultatis Juridicae Professores quondam
fuerunt*

Henricus Christophorus à Griesheimb Eques Thuringus,
Consiliarius in Aulâ Cassellana, Johannes Eichrodus
J. U. D. Consiliarius Holfato Schaumb. Antonius Nefenus,
Johannes Mollenbeck, Justus Reiffenberger, J. U. Doctores,
Hermannus Gœhausen J. U. D. Consiliar. Holfato-Schaumb.
Johannes Rorendorpius J. U. D. Rudolphus Friderus Min-
danus J. U. D. Consiliarius Schaumburg. Franciscus Giessen-
bier J. U. D. Academiae ProCancellarius & Consiliarius Holfato-
Schaumb. Johannes Conradus Monæus J. U. D.

Ejusdem Facultatis Antecessores jam sunt

David Pestel J. U. D. Consiliar. Schaumb. & Lippiacus, Chri-
stophorus Joachimus Bucholtz J. U. D. Consiliarius Hassia-
cus, Johannes Martinus Brandes, Bernhardus Schultze
J. U. Doctores, Engelbertus Wipperman J. U. D. d. d.

Medica

ax Tg 1108

Medicæ Professioni præfuerunt

Johannes Ravius, Petrus Finxius Phil. & Medic. Doctores,
Ernestus Nicenus Med.D. Johannes Petrus Lotichius Ph.
& Med. Doct. Vilhelmus Deichman, Erasmus Schmid,
Henricus Faust, Adamus Schäffer, Rodogerus Timplerus
Medicinæ Doctores.

Hanc spartam modò sustinet

Paulus Glandorpius Medicinæ Doct.

*Philosophiam & Philologiam antehac
professi sunt*

Franciscus Gerhardinus Phil. & I.U.D. M. Sylvester Pribe-
nius, M. Hermannus Vastelabius, M. Christoph. VVer-
nerus, M. Christophorus Braunius, Johannes Philippus En-
gering Medic.D. M. Reinhardus König, M. Henricus Hene-
chius, M. Antonius Peithmannus, Jordanus VVeideman-
nus Medic.D. M. Andreas Henricus Bucholtz, M. Henricus
Martinus Eccardus, M. Iohannes Henichius, M. Ioh. Georg
Lohmeyer, M. Iohannes Hornejus, M. Arnoldus Redeker,
Bernhardus Schultze I.U.D. M. Iohannes Stille.

Isto officio nunc funguntur

Petrus Musæus Phil. & Theol.D. M. Gerhardus Bodinus. Mi-
chael VWatsonius Th.Ddus & Ph.M. Gerhardus VVolter
Molanus, M. Hermannus Barckhausen.

Præter Virtutem nil Immortale tenemus;
Mens manet & Virtus, cætera Mortis erunt.



Vort

Serenissimi P
Halsia Landgrav
arum, Zi

VIR
Generoso,
DN. A

Satrapæ B
Dn. SA
Cancellariæ

DN. PH

Sereniss. Princ
DN. CO

Prælaudat
Do

HELM VI
imeliboci, Deci-
&c. &c.

IIS
mplissimis
MEY

ntissimo
RIACI
eritissimo
RICO

io præcipuo
BBEN-

nissimo

